



Quæstionum, Et Resolutionvm Legalium Libri Duo

Quæstionum, Et Resolutionum Legalium Libri Duo - Quorum Prior in duas Partes divisus, continet Resolutiones Beneficiales, Canonicas Et Regulares: Secundus Controversias Civiles determinat

Tonduti, Pierre François de

Lugduni, 1683

Cap. XLVIII. Vtrùm Iudæi compelli possint domus parietes tapetibus ornare, sicut faciunt Christiani, quando Sanctissima Eucharistia defertur processionaliter per civitatem, transeundo ante domos quas ...

[urn:nbn:de:hbz:466:1-98367](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-98367)

tractat. de offic. & potest. Paroch. cap. 20. num. 33. & in
decis. Apostol. collect. 405. num. 8. Ergo frustra videtur
querendum, utrum Judæi cogi possint domus suas,
scilicet illarum parietes tapetibus ornare.
2. Secundo, quia cum Judæi in terris Ecclesiæ ex
benignitate summi Pontificis habitare possint, & ex
ipsius gratia speciali, ut dicitur in decis. 194. num. 14.
part. 4. recent. tom. 2. non sint in eorum lege urbandi,
3. aut legem nostram observare cogendi. Imò apud
ipsos lex Moysis observanda sit, ut copiose per plu-
res casus explicat Cyriac. controvers. 241. per tot. Surd.
4. decis. 133. Et propterea filii Hebræorum parvuli qui
non sunt capaces rationis, non sunt baptisandi pa-
rentibus invitis: Cavalcan. decis. 21. num. 14. part. 2.
Afflict. decis. 151. Natta consil. 434. num. 5. Benincasi
de pauper. quest. 11. num. 8. Gratian. discept. forens.
cap. 658. num. 31. Paschal. de par. potest. part. 1. cap. 7.
5. num. 3. Si tamen puer esset doli capax, posset in vi-
to patre baptisari, qualis est ille qui habet ad minus
decem annos cum dimidio, Paschal. d. part. 1. cap. 7.
6. num. 5. & 6. Et si concurreret mater, conversa cum
patre Judæo, præferenda esset mater favore religio-
nis: & hoc casu filius invito patre baptisaretur, quan-
vis in infantia constitutus: Gratian. discept. fo-
rens. 977. num. 20. & seq. Imò si adesset avus paternus
qui peteret filium infantem baptisari, præferendus
esset contradictioni patris, cum avus habeat nepo-
tem in sua potestate, ut copiose ostendit Gratian.
discept. 977. per tot. Paschal. d. cap. 7. num. 4. Multò
minus qui habent usum rationis, compelli poterunt
ad observandam legem nostram; militem enim vo-
luntarium diligit Deus, ut dicunt omnes DD. supra
7. citati: & adeo ut si pater penitentia ductus ante sul-
ceptum baptismum filios sibi restitui petierit, tali ca-
su filii patri sint restituendi, ut copiose consulu-
it Mart. consil. 184. per totum. Si autem Hebræi cogeren-
tur ad ornandos parietes domus tapetibus in ho-
norem sanctissimi Sacramenti, cogerentur legem
suam violare: ergo non sunt ad hoc astringendi.
8. Tertio, quia in spiritualibus concernentibus favo-
rem animarum, Judæi non ligantur legibus cano-
nicis, neque in sacramentalibus; quia de eorum ani-
ma non curamus; cum ipsi de ea non curent: cap.
gaudeamus, de divor. Thulc. litt. I. conclus. 368. n. 1.
& conclus. 369. num. 24. & 27. Farinac. in fragment.
in verb. Judæi, num. 639. Viu. opinio. 392. num. 3.
ergo cum decretum illud de ornando domum ta-
petibus respiciat spiritualia, videtur quod non liget
Hebræos.
9. In contrarium tamen Respondi contra Hebræos,
ipsos cogendos esse ad domum tapetibus ornandam,
vel potius ornari faciendam: quia licet statuta & or-
dinationes factæ circa ea quæ cultum divinum res-
picunt, non afficiant infideles, l. spadonem 17. §. con-
stitutiones, & §. iam autem, ubi dicitur: constitutiones
sine molestia in iis solis habere esse Judæos, per quos
cultus divinus inquinari videtur, ff. de excusat. tutor.
& l. 3. §. finali, ff. de Decurion. ubi dicitur, necessita-
tem Judæis imponere constitutiones, ita tamen ut
superstitio eorum non laedatur. Tamen quando
constitutio aliquid specialiter mandat fieri per Ju-
dæos, tenentur obedire, ne per contemptum & in-
observantiam talis ordinationis, videantur illudere
Christianis: cap. quia, & cap. in nonnullis, §. diebus, ext.
de judiciis, ubi prohibetur Judæis ne diebus hebdo-
madæ sanctæ in publico compareant, aut fenestras
vel ostia aperta teneant. Similiter decretum super
observantia festorum comprehendit Judæos, quan-
do de ipsis specificam facit mentionem: Ricciul. in
tract. de person. extra quem. Eccles. existit. cap. 8. num. 2.

& 3. Bertach. in tract. de gabell. part. 7. quest. 17.
num. 38. & 39. Sicut & prudenter ordinatione Re-
gia constitutum est in Gallia, ut omnes cujuscunque
religionis, teneantur observare dies festos à sancta
Catholica & Romana Ecclesia indictos; nec possint
illis diebus laborare, vendere, vel apothecas publicè
apertas tenere: ut habetur inter ordinationes Re-
gias apud Theveneau lib. 1. de festis Ecclesiasticis,
tit. 11. art. 5. & en la conference des ordonnances Ro-
yales, lib. 1. tit. 1. art. 20. Et certum est Judæos non
esse tolerandos in iis, quæ tendunt ad opprobrium
12. illius qui probra nostra delevit: cap. in nonnullis,
§. illud autem, de Judæis. Et nobis fidelibus esset ve-
rendum, ne divinam indignationem incurreremus, si
ea fieri pateremur, quæ fidei nostræ confusionem
inducunt: cap. etsi Judæos, cod. tit. Ricciul. lib. 2. c. 18.
num. 2. & 3.

Præterea advertendum est, in illa actione tapeti-
bus domus parietes exteriores ornandi, duo consi-
derari: nempe materiam, & actionem ipsam mate-
rialem; secundò formalem intentionem honorandi
sanctissimum Sacramentum. Respectu hujus secun-
di capitis, verissimum est non debere cogi Judæos ad
adorandam & honorandam sanctissimam Eucharis-
tiam: quia hoc esset contrarium legi, quæ ipsos uti
tolerat summus Pontifex, & contra d. l. 3. §. finali,
ff. de Decurion. & alia omnia jura in contrarium alle-
gata: sed quoad ipsam actionem materiam, non
potest dici quod Judæi cogantur legi suæ contrave-
nire; tum quia nemo impedit quin ipsi mediante pec-
unia opus hoc per interpositas Christianorum per-
sonas exercere possint: sicut aliquibus in locis co-
guntur verrere viam ante palatium ubi transire debet
sanctissima Eucharistia: quod ipsi Hebræi per se non
exercent, sed per Christianos, quorum operas lo-
cant: tum etiam, quia cum actio illa domus tapetibus
ornandi sit ex se indifferens, nec sit actio honoris &
reverentiæ erga Christum Dominum, nisi quatenus
ad id dirigatur ex intentione operantis, non potest di-
ci, quod Judæi cogantur ex hoc violare legem suam,
quia non coguntur ad aliquem actum internum ho-
noris & reverentiæ erga sanctissimum Sacramentum,
cùm sola causa & intentio ornantis reddat actionem
illam bonam inter Christianos, & malam in lege
Judæorum. Et probatur ex iis, quæ circa bonita-
tem vel malitiam actionum indifferentium copiose
14. tradit Sanch. lib. 1. in præcep. decalogi, cap. 7. num. 8.
& per totum illud caput. Actus autem internus
honoris non dependet à voluntate præcipientis ho-
minis, sed à mera voluntate & libero arbitrio ope-
rantis; quia excedit omnem humanam potestatem:
ut dicit idem Sanch. in præcep. decalogi, lib. 6. cap. 2. n. 6.
ergo non potest dici quod Judæi dum coguntur pa-
rietes domus tapetibus ornare, adstringantur ad vio-
lationem superstitionum suarum.

Non obstant adducta in contrarium. Quod enim
16. primo loco dicitur ex resolutione sacræ rituum Con-
gregationis, locum haberet si sanctissima Eucharistia
deferretur per plateas & vicus, ubi soli Hebræi habi-
tant; non autem quando (prout in casu proposito)
ad sunt permixta Christianorum domicilia; in quo
casu non decidit quidquam Congregatio, cujus ta-
men decisionis & correctioni me submitto.

Ad secundum Respondetur, Judæos non turbari
in exercitio eorum superstitionis: quia non coguntur
ad aliquem actum cultus exterioris, aut interioris er-
ga sanctissimum Sacramentum; sed ad actum quem-
dam qui ex se est indifferens, nec recipit bonitatem
nisi ex intentione operantis; ut supra dictum est
num. 13. & seqq.

Ad tertium Respondetur, hic non tractari de spiritualibus, sed de quodam actu exteriori, qui ex se indifferens est: & licet bonus sit ex intentione precipientis, tamen respectu operantis non dirigitur ad honorem sanctissimi Sacramenti, nisi ratione intentionis; quæ cum bona non sit in Judæis, non potest quoad ipsos dici actus honoris & reverentiæ erga sanctissimam Eucharistiam: & per consequens non adest ulla coactio ad violandam legem suam: † veluti quando coguntur ad audiendam prædicationem verbi Dei. Ricciol. *disto lib. 2. cap. 37.*

Similiter quamvis causa matrimonialis sit spiritualis, non tamen in omnibus possunt Judæi sequi leges, & consuetudines Judaicas quoad matrimonia contrahenda: sed canonicis etiam sanctionibus supponi possunt, † veluti quoad polygamiam, quæ olim apud Judæos frequentabatur, & tamen ea consuetudo Judæorum sublata est, etiam quoad ipsos Judæos ex lege Evangelicæ, cui ipsi quoad hoc obedire tenentur: ut notat Thomas Sanch. *de matrim. lib. 7. disput. 80. num. 12. & 14.* † Non possunt igitur Judæi duas simul habere uxores, nisi prima legitime dimissa, dato libello repudii: ut dicitur in *1. nemo Iudæorum 6.* & ibi Bartol. & alii, *Cod. de Iudæis.* † Imò quoad libellum repudii, non licere Judæis uxoribus illud dare post legem Evangelicam, cui in hoc ipso obedire teneri asserunt Doctores gravissimi, veluti Sanch. *de Matrim. lib. 10. disput. 1. num. 9. & lib. 3. disput. 12. n. 1.* Basil. Pont. *de matrim. lib. 7. cap. 50.* Bonac. *de matrim. quest. 2. punct. 11.* Barbof. *ad rubric. F. solut. matrim. 2. part. rubric. num. 10.* ubi alios citat. Gutier. *de matrim. cap. 106. num. 2. & 3.* Covarr. in *epitom. 4. decret. part. 2. cap. 7. §. 4. num. 6. & 7.*

21 Sed tamen Hostiensis in cap. gaudemus, de divor. colum. antepenult. in verb. qui autem, hoc explicat dicens, hoc locum habere si repudium daretur inter Judæos, & divorcium fieret sine justa causa. Et statim ibi in verb. repudiavit, explicat, id est sine causa.

22 Major tamen pars Doctorum existimat licitum esse Judæis aliam uxorem ducere, primâ solemniter repudiatâ, ut testatur Barbof. plures citans in *d. 1. nemo, Cod. de Iudæis*, & in cap. de infidelibus, n. 3. de consang. & affinit. Farinac. in *fragm. litt. l. num. 652.* & ita practicatur Avenione, ut testatur D. de Laurentiis *decis. Rot. Avenion. 157.* Bertrand. *consil. 132. volum. 6. & consil. 124. volum. 7.* Tusch. in *verb. Iudæus, conclus. 369. num. 2. 14. & 23. & conclus. 371. num. 74.* Vivius *opin. 533. n. 7.* Alexand. *consil. 72. num. 2. volum. 2.* Abb. in *d. cap. de infidelibus*, de consang. & affinit. num. 62. Hostiens. *ibidem*, in *fin. in verb. inter eos.* Joan. Andr. num. 5. Zabarel. num. 4. Butrius num. 9. Alexand. de Nervo num. 10. quos citat Barbof. in *eod. cap.* Baiard. ad Clar. in *§. fornicatio, num. 37.* Bald. *consil. 428. n. 4. volum. 5.* Menoch. *de arbit. casu 420. num. 94.* Ita ut hæc posterior opinio receptior sit, & in praxi apud nos observata.

Quidquid sit, concludendum est, Judæos recte cogi posse ad procurandum, quod eorum domus tapetibus exornentur tempore dictæ processionis; maxime ut evitetur contemptus & scandalum, cum omnes aliæ domus præter Hebraicas tapetibus ornate sint.



CAPUT XLIX.

Verum licentia prædicandi Religioso data sub ea conditione, ut ante susceptum

diaconatus ordinem prædicare non possit, de jure sit valida. Quibus in casibus actus qui purè fieri possunt, fieri valeant sub conditione. Et ex quibus actus dicatur conditionalis, vel modalis.

S U M M A R I U M.

- 1 Religiosi, ejus licentiam obtinere debeant, ut prædicare possint, sive intra, sive extra suorum ordinum Ecclesias.
- 2 Poena religiosi prædicantis sine Episcopi licentia, qua sit.
- 3 Religiosi sine licentia prædicantibus, non potest de jure Episcopus penam declarare.
- 4 Hodie tamen secus est ex constitutione Gregorii XV.
- 5 Quidquid purè fieri potest, etiam sub conditione fieri potest regulariter: & num. 7.
- 6 Actus legitimi non recipiunt diem & conditionem contra ipsorum naturam, secus si conditio illorum naturæ non repugnet.
- 7 Clerico in sacris nondum constituto, munus prædicandi committi non potest.
- 8 Verba sub conditione quandoque habent vim potius quam conditionis.
- 9 Verba sub conditione aliquando potius significant legem illi datam, quam conditionem.
- 10 Clausula, & non aliter, nec alio modo, non semper facit conditionem.
- 11 Duplex est forma, una substantialis, alia essentialis, quæ non impedit actus perfectiorem.
- 12 Condicio non nocet dum apponitur executioni actus perfecti.
- 13 Substantialia iudicii inter religiosos servanda sunt.
- 14 Religiosi, in casibus in quibus appellatio ipsi prohibita est, possunt recurrere ad superiores per viam querelæ.

Constitutum est in Concilio Tridentino *sess. 5. de reformat. cap. 2.* in regulares, quod cupique ordinis regulares, etiam in Ecclesiis suorum ordinum, prædicare non possint, nisi à suis superioribus de vita & moribus ac scientia examinati, & approbati fuerint; & de eorum licentia, cum qua personaliter coram Episcopis se præsentare, & ab eis benedictionem petere teneantur antequam prædicare incipiant. In Ecclesiis verò quæ suorum ordinum non sunt, ultra licentiam superiorum suorum, cum Episcopi licentiam habere teneantur, sine qua in Ecclesiis non suorum ordinum nullo modo prædicare possint. Quod Concilii decretum refert, & expone Mirand. in *Manuali prælatorum regul. part. 1. tit. 40. & seq.* Hicton. Rodetic. *quæst. regul. 112. num. 2.* Poth. in *dubii regul. in verb. prædicatores, num. 11.* Quod addit, penam prædicantis absque Episcopi licentia, excommunicationis non latæ, sed ferendæ tenentur: cap. excommunicamus 13. §. quia vero, de heretic. † Sed illos sic sine Episcopi licentia prædicare non ab Episcopo, sed à suo superiore puniri esse: juxta declarationem Sacræ Congregationis. † Hodie tamen ab Episcopo puniri possunt ex constitutione Gregorii XV. Barbof. in *decis. apud collect. 637. num. 2.*

Sed in facti contingentia dubitatum fuit, an valida esset licentia cuidam regulari à suo superiore ad prædicandum concessa, sub ea conditione, ut in